

CAPITIS QUARTI.

PARS SECUNDA.

HISTORIA FONTIUM JURIS CANONICI AB INITIO RELIGIONIS CHRISTIANÆ USQUE AD IV CONCILIUM ECUMENICUM (1).

ARTICULUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

A. Ecclesiæ propagatio et status, § I. B. Juris fontes, et quidem. 1. Veterum traditiones, § II. 2. Decreta conciliorum a. orientis, § III. b. occidentis, § IV. 3. Leges civiles, § V. C. Juris canonici scientia § VI.

I.

Apostoli accepto die pentecostes divino Spiritu, statim Judeis tunc temporis ex omnibus regionibus Hierosolymam confluentibus Evangelium nuntiavere, moxque Judæam, Syriam, Asiam, Græciam, Macedoniam, insulas, Ægyptum et Occidentem peragrarunt. Præcipuè in principiis singularum provinciarum urbibus diutius permanerunt, congregatisque ibi fidelibus Episcopum præfecere, cui fidei propagandæ in minoribus civitatibus curam reliquere. Sæculo II ac III in Hispania quoque, in Gallia, in Britannia et in superioribus Rheni partibus christianorum cœtus instituti jam erant.

Mox tamen sæculi potestates contra christianam religionem concitatæ sunt; Romani siquidem, licet exterorum populorum religiones parum curarent, illasque simul cum populis, qui ipsorum potestati obnoxii erant, tanquam propria quædam eorum instituta in imperium reciperen; tamen eas solummodo tolerabant, quæ publicè quoque agnoscerentur. Hinc simul ac compertum est, religionem christianam non solum a Judæorum religione alienam esse, sed romanos quoque impetrare, illos a patriis deorum sacrificiis, a religiosis imperatoris honoribus, atque a juramento, quod ipsius genio et fortunæ præstabatur, avocare, ipsam tanquam crimen in rem publicam legibus ac ferro exterminandam esse censuere. Postquam verò Constantinus christianus factus est, persecutio cessavere, et abolido in rom. imperio falsorum deorum cultu, Ecclesia legum tutelam, divitias et multa privilegia adepta, totaque ipsius constitutio luculentius ac clarius explicita est. Quodlibet enim municipium cum sua ditione Episcopi parochia evasit; plures parochiæ provinciam constituere, cui metropolis Episcopus præerat; plures denique provinciæ ecclesiasticam dioecesim efficiebant. Præ cæteris Episcopi romanus, antiochenus, alexandrinus, hierosolymitanus et serius constantinopolitanus emicuerunt, qui dein patriarchæ etiam nominari cœperunt. Omnium verò caput et unitatis centrum romanus Episcopus erat. Res ecclesiasticæ unius provinciæ in conciliis provincialibus tractabantur; ad dirimenda verò majora negotia, præsertim fidei,

(1) ~~¶~~ Integra hæc capituli pars, desumpta ab Euchiridio Juris canonici a D. F. Walter germanico sermone conscripto in latinum conversa fuit ab A. Sionnet, et egregiè dictata quibusdam tum ex J. Devoti Jure canonico universo, tum ex aliis auctoribus pro opportunitate adjunctis. ~~¶~~

totus conveniebat Episcopatus, uti factum est in 4 prioribus conciliis ecumenicis; nicæno scilicet a. 325, constantinopolitano a. 331, ephesino a. 431, chalcedonensi a. 451. Interim religio christiana etiam in Æthiopia a. 355, in Scotia et Hibernia a. 430, propagata est.

II. Nullis initio ecclesiastica disciplina legibus scriptis, sed traditis ab eorum conditoribus præceptis regebatur, quæ deinde, ne incertæ vagarentur et oblivioni mandarentur, in oriente primum, sicuti in consuetudine et usu ecclesiarum reperiebantur, brevibus sententiis, canonibus, scripto tradebantur. Hoc modo antiquissima, cuius in ecclesiasticis monumentis mentio fit, canonum collectio, canonum scilicet apostolorum, orta est (1).

A Græcis, qui in concilio trullano (a. 692) ipsis legum vim tribuere (c. 4, D. XVI, conc. trull., a. 692) 35 numerantur, a latinis tantum 50. Diù enim in occidente nullus ipsorum usus, nulla auctoritas; imò ob erroneam nominis inscriptionem inter libros apocryphos (2) habiti sunt. Deinde verò postquam Dionysius exiguus 50 ex græco in latinum transtulit, suæque collectioni inseruit, auctoritatem quamdam nacti sunt (3).

Certum omnibus exploratumque est eos apostolis adscribi nullo modo posse; nulla enim eorum est mentio apud illos qui tribus prioribus sæculis res ecclesiasticas scriptis illustrarunt (4); multa in illis sunt, quæ cum apostolorum etate componi nulla ratione possunt (5), quædam etiam, quæ Ecclesiæ traditioni abversantur (6). Verosimillimum est, non omnes hos canones eodem tempore scriptos consignatos fuisse, ideoque inter eruditos non convenit, quo potissimum tempore collecti in unum corpus fuerint. Sunt qui illos II, aut III, ineunte, sunt etiam qui tantum sæculo V, collectos putant; indubium tamen videtur, ipsos ex ea disciplina iisque legibus haustos fuisse, quibus per tria priora sæcula orientales ecclesiae regebantur (7). Altera veterum traditionum collectio, quæ sub nomine libro-

(1) Editi sunt hi canones cum copiosis notis in Cotelerii opere, cui titulus: Patres apostolici Par. 1672, vol. 2. Habentur etiam in pluribus editionibus corporis Juris romani et canonici.

(2) Gelasius pontifex et Isidorus hisp. uterque apud Gratianum c. 3, d. 15. et can. 1. d. 16, apocryphos vocant canones apostolorum. V. Ball. in oper. S. Leonis t. 3, p. 3, c. 11, § 10.

(3) C. 2. D. 20. (Leo IV, a. 350.) c. 3. D. 16. (Leo IX, a. 1054.) In concilio rom., quod habbitum est 769, Steph. III pontifice, Act. 4, coll. Labb. tom. VIII, col. 485, ed. Ven. habentur hæc: "Non amplius suscipiantur apostolorum canonum prolata per S. Clementem, nisi 50 capita, quæ suscipit sancta Dei catholica romana Ecclesia."

(4) Certe Victor pontifex in controversia de paschate celebrando contra asiaticos nusquam meminit canonum apostolorum, neque eos item memorarunt S. Cyprianus, aut Firmilianus, cum adversus Stephanum pontificem gravis illa de baptismō hæreticorum controversia ferveret, quanquam omnes horum canonum auctoritate sententiam suam tueri possent. Maximi etiam momenti est silentium Eusebi Cœsariensis, et S. Hieronymi, qui in conservanda scriptorum apostolicorum memoria diligentissimè versati sunt. Conf. c. 5, Berardum in c. opere, cui titulus: *Gratiani canones gernual* t. 1, p. 4 et seq.

(5) In his canonibus mentio est cantorum, lectorum hypodiaconorum, similiter habetur parochiarum distributio, annua concilia metropolitana, distinctio bonorum Ecclesiæ a bonis Episcopis; quo referuntur canones 14, 15, 27, 38, 40, 43, ap. Cotelerium PP. apost. p. 543, seq. tom. I, edit. Amstelodami 1724. Verum hæc omnia multo post apostolorum et S. Clementis etatem instituta sunt.

(6) Ita can. 46 et 47, hæreticorum baptismus rejicitur, et can. 50, trina mersio in baptismo necessaria dicitur ad vin sacramenti. Quod utrumque ab Ecclesiæ doctrina alienum est.

(7) Vide de hac controversia G. Beveregium in codice canonum Ecclesiæ primitivæ vindicat. et illast. Lond. 1678, 4; Amstel. 1697. Agit auctor de origine atque antiquitate horum canonum, illosque antiquissimum et originarium canonum collectionem putat. Canones verò

rum octo constitutionum apostolicarum venit, Clementi rom. pont. per errorem tribuitur, cum plura contineat quæ quinti sæculi disciplinam referunt, et teste ipsa trullana synodo (a. 690) ab hæreticis corrupta sunt. Ecclesia latina nullam penitus huic collectioni auctoritatem tribuit (1).

III. Crescentibus in dies rebus Ecclesiæ, frequentes habitæ sunt synodi, quærum decretis vigens disciplina aut roborata aut mutata fuit. Antiquissimæ, quærum canones ad nos pervenerunt, ancyrense et neocæsaræ (a. 314) celebratæ sunt. Hujusmodi conciliorum particularium canones initio pro illis tantum provinciis legis vim habuerunt, quorum Episcopi ad ea se contulere; deinde verò cum cœmenicorum conciliorum canonibus, qui totam Ecclesiam obligabant, in eamdem collectionem relati, in tota quoque Ecclesia sparsi et recepti sunt (2). Jam ante concilium chalcedonense tales canonum collectiones in oriente habebantur (3): in quibusdam enim hujus concilii actionibus (act. 4 et 11) non solum codicis canonum expressa fit mentio, sed etiam aliqui ex eo codice canones recitantur, et quidem distincti numeris, qui perpetuam ostendunt numerorum seriem, quæ non nisi in canonum collectionem quadrare potest. Videntur istæ collectiones comprehen-disse canones 20 nicænos (a. 325), 25 ancyranos (a. 314), 14 neocæsarienses (a.

apostolicos primam Ecclesiæ disciplinam referre, ex eo quoque patet, quod apud omnes Orientis sectas recepti sint. Memorat illos Ebed Jesu sobensis in catalogo scriptorum syrorum apud assem. Biblioth. orient. t. III, part. I, quorum ipse epitomen in sua canonum synodalium collectione publicavit. Exstant syriace in cod. 18. Vaticano ad calcem, t. II, biblioth. orient. p. 498. Aliud quoque opus apostolis tributum et didascalia inscriptum Syrorum manibus teritur, a canonibus, a constitutionibus et a libris recognitionum planè diversum. In canonum Ecclesiæ alexandrinæ collectione adhuc plura habentur sub apostolorum nomine, uti videre est ex codice, quem describit id Assemanus, bibl. orient. tom. I, pag. 619. Vide infra, § XXXIII.

(1) Vide de hac collect. Joan. Dallæum de pseudo epigraphis apostolicis libris tribus. Harderov. 1653, et Gerh. van Mastrich historia Juris Eccles. § 108, 123. Editæ sunt istæ constitutiones in Joh. Coteleri opero: Patres apostol. v. I.

(2) Exstant antiquæ hæc collectiones in bibliotheca Juris canonici veteris opere et studio Gul. Vælli et Henr. Justelli Dut. Par. 1661. Vol. fol. quæ tum Orientis, tum Occidentis collectiones amplectitur. Orientis collectiones inveniuntur in sequentibus operibus: sive pandectæ canonum SS. apostolorum et conciliorum ab Ecclesia græca receptorum Guil. Beveregius recensuit. Oxonii, 1672, II, vol. fol. Jos. Assemani bibliotheca Juris orientalis canonici et civilis, Rom. 1762, 66, V; vol. 4.

(3) Historiam antiquarum collectionum usque ad Gratianum exhibent: Pasch. Quesnell. diss. tres de codice canonum Ecclesiæ romanæ, de variis fidei libellis in antiquo romanæ Ecclesiæ codice contentis, et de primo usu codicis canonum Dionysii exigui in gallicanis regionibus (in edit. opp. Leo. M. Par. 1775, II, v. 4).

Petr. de Marca de veteribus collectionibus canonum (in ejusd. opusc. ed. Baluz. Par. 1681); Petr. Constant: De antiquis canonum collectionibus (in edit. epistolarum roman. pontificum t. I, Par. 1721. fol.). Car. Berardi: De variis sacerorum canonum collectionibus ante Gratianum (in opere: Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti t. I, Taur. 1752, 4); P. et H. fratr. Ballerini de antiquis tum editis tum ineditis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque (in edit. opp. Leon. M. Venet. 1753-57, III, vol. fol.); P. I. Riegger de collectionibus Juris ecclesiastici antiqui, Vien. 1737, 8 (l. t. Spittler). Juris canonici historia usque ad Pseudo-Isidorum, Hallæ 1778, 8. (Geschichte des kanonischen Rechts his auf die Zeiten des falschen Isidor) et auctam in ejusdem opp. Stuttgardia 1827, quibus adde: Theiner. commentatio de romanorum pontificum epistolarum decretalium antiquis collectionibus et de Gregorii IX. P. M. decretalium codice, Lipsiae, 1829, in-4. C. Buttler. an historical and literary Account of the Roman and canon law. London 1830 in-8. T. I. Quesnelli, Marcæ, Constanti, Berardi, Ballerinorum aliorumque opera collegit Andr. Gallandius in opere, cui titulus: De vestitis canonum collectionibus sylloge: Venet. 1778, fol. Mogunt. 1790, vol. 4.

314), 20 gangrenses (c. a. 355), et 25 antiochenos (a. 332); plura tamen de iis certò affirmari nequeunt: magna insuper tum in divisione canonum, tum in lectionum diversitate earum varietas deprehenditur, quippe quæ privata tantum auctoritate confectæ erant. Eodem ferè tempore, aut sanè non multò post, aliae quoque in Oriente ortæ sunt collectiones novis canonibus auctæ, quarum tamen ratio non nisi ex earum versionibus, in Occidente confectis, cognosci potest.

Ex græcis hujusmodi collectionibus ex quoque desumptæ sunt canonum collectiones, quæ a christianis Orientis in syriacum et arabicum sermonem translati adhibebantur. Communis, teste Assemano in Bibl. orient. (tom. III, p. I, p. 74), Orientalium sententia est, S. Marutham tagritensem seu Maipherkimensem Episcopum, qui circa finem IV sæculi doctrina et miraculis claruit, statuta conciliorum occidentalium, nicæni scilicet et constantinopolitanæ, in Syrorum sermonem translatuisse (1). Hi sunt canones qui arabici vulgè dicuntur, quia ex arabicis exemplaribus primum editi sunt (2).

IV. In Occidente et præcipue in Ecclesia romana initio non alli quæm nicæni

(1) Assemanus in Bibl. orient. t. I, p. 195, afferit. de Marutha, quæ habet Elias Damascenus in nomocanone, de quo infra sermo erit. Fuit Maruthas Episcopus Maipherkim, qui leges et canones, ab Episcopis romanæ editionis variis temporibus constitutos ad orientales provincias (i. e. ad Chaldæos et christianos extra fines romani imperii habitantes ad orientem) transtulit: nicænorumque patrum CCCXVIII decreta ex Græco in syriacum vertit, cum ab Isdegerde Persarum rege ad Romanorum imperatorem mitteretur." Ex Nestorianorum Synodis, et præsertim ex iis, qua a patriarchis recens electis habitæ sunt, apparebant ipsos solitos fuisse canones patrum occidentalium et orientalium confirmare, eosque in unum contrahere codicem, quem universi apud se haberent et sequerentur.

(2) Arabicos nicænos canones quod attinet, certum est apud eruditos, eos non omnes in concilio nicæno conditos fuisse. Ceterum haud contempnendi sunt, ut multis visum est, quoniam magnam partem continent disciplinæ ecclesiarum orientalium. Eadem de causa eas probatos novimus sectis oranibus, licet haec regionibus opinionibus institutisque dissiderent. Certum autem videtur ex græcis exemplaribus hos canones fuisse redditos, quod præter ea, quæ supra de Marutha diximus, ex stylo quoque et ex græcarum vocum, quæ ibi occurunt, copia manifestum est. Quare simillimum verò est, ut Renaudotius in opere, la Perpétuité de la foi; liv. 9, chap. 2, 6, edit. Paris 1713, explicat, fundum hujus collectionis fuisse aliquam ex vetustissimis illis, in quibus primum descripti erant nicæni, deinde ceteri græci canones conciliorum IV ac V, sæculi nullo notati nomine, et eadem cum nicænis numerorum serie dispositi; factum est, ut omnes indiscriminatim nicæno concilio attribuerentur. (De hisce canonibus arabicis vide ea quæ habet Jo. Devoti in jure can. univ. proleg. c. XVIII, § IV, n. 3. Exstant verò in Orientalium codicibus etiam allorum conciliorum canones propriis ipsorum nominibus distincti: Sic in nomocanone Eliæ Damasceni nestoriani habentur in prima parte canones Occidentalium, videlicet vitæ apostolorum et discipulorum, canones apostolici, ancyranæ, neocæsarienses, nicæni, constantinopolitanæ. In synodico verò nestorianorum, cuius codicem arabicum ex biblioth. vaticana exhibit Assemanus in biblioth. orient., tom. II, p. 507, habentur præter canones et constitutiones apostolorum, canones ancyranæ 24, neocæsarienses 14, nicæni 20, nicæni alli 73, a Marutha editi, gangrenses 20, antiocheni 25, laodicensi 59, constantinopolitanæ can. 4, Damasi papæ 14, (verosimiliter ex epistola synodica Damasi papæ ad Orientis Episcopos), carthaginenses canones 20, chalcedonenses 27. Iidem verò reperiuntur in codice canonum Ecclesiæ alexandrinæ apud Assemanum in Bibl. orient., tom. I, p. 619, qui præter nicænos canones 20, et alios nicænos 84, habet etiam ejusdem concilii canones 33, de monachis, et 20 alios qui apud Coptos tantum reperiuntur. Gregorius Bar-Hebræus syrorum jacobitarum canonum collector, canones adducit ex conciliis nicæno, constantinopolitanæ, ephesino, chalcedonensi, neocæsariensi, ancyranæ, laodicensi, antiocheno, gangreni. Adduximus verò hæc ex orientalium canonum collectionibus paulò fusiūs, ut pateat, quenam sit ipsarum ratio, quique cum Ecclesia catholica consensu in illa præsertim admittenda disciplina, quæ prioribus sæculis in oriente viguit.

canones agniti fuerunt, quo sub nomine etiam sacerdentes comprehendebantur, quoniam hoc concilium tanquam nicæni appendix habebatur (1).

Brevi verò tempore ampliores collectiones ex græcorum codicibus latinè redditis confectæ sunt. Codex ille, quo utebantur in Hispania, canones nicænos, ancyranos, neocæsarienses et gangrenses tantùm comprehendisse videtur, cui tamen canones sardenses, in ipso concilio græcè et latinè conscripti, et seriū canones antiocheni, laodenses, constantinopolitan et chalcedonenses ex alio græco codice adjecti sunt, qui proindè codex græcus tria concilia complectebatur, quæ in aliis codicibus superiùs recensitis desiderantur. Hujusmodi erat *collectio hispanica* post medium sæculum quintum.

Eodem ferè tempore in Italia alia collectio ex græcorum codicibus confecta est, que *Priscæ* nomine in usum venit. Continet hæc collectio latino sermone admodum corrupto conscripta canones ancyranos, neocæsarienses, nicænos, sardenses, gangrenses, antiochenos, chalcedonenses et constantinopolitanos. Codex igitur, qui ad illam conficiendam adhibitus est, duo concilia continebat, quæ in illis codicibus, qui tempore concilii chalcedonensis extabantur, non inveniuntur cætera alio ordine refert.

In Africa quædam canonum collectionis species ex eo ortum habuit, quod in posterioribus synodis ea, quæ in superioribus statuta essent, repeterentur actisque insenserentur (2).

Alterum (3) juris fontem Decretales aliæque litteræ constituant, quas pontifices rom. ad Episcopos, aut ipsis interrogantibus, aut proprio motu scripserunt, quæque jam a V sæculo canonum collectionibus inserta sunt (4). Hujusmodi mixta

(1) Insignis est locus Innocentii I, in epist. 7, ad cler. et popul. constantinopolitanum apud Constantium epist. roman. pontific. tom. I, col. 799, ubi inquit: "quod autem ad canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicæ definiti sunt; quos solo sectari, et agnoscere debet Ecclesia catholica." Idem Innocentius in epist. 5 ad Theophilum Alexandrinum apud eundem Constantium col. 790, habet hæc: "Tu, igitur, si judicio confidis, sistete ad synodus, quæ secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub testibus nicæni concilii canonibus (alium enim canonem romanæ non admittit Ecclesia) securitatem habebis contradictionis expertem." Cum nicænos canones Innocentius memorat, intelligit etiam sardenses, quoniam hoc concilium tanquam nicæni appendix habebatur. Locus hic Innocentii satis evidenter ostendit usque ad eam ætatem romanam Ecclesiam nicænos tantùm canones agnovisse; non defuerunt tamen qui ea verba aliter intelligenda esse putarunt, sed eos latè refellunt fratres Ballerini I. C, cap. 1, § 1 et 2, p. 51 et seq. vide quod adversus frat. Baller. disputavit doct. Berardus in observat. quart. præfationis operis eximii cui titulus est: *Gratiani canones genuini*, Venet. 1777, 4 vol. in 4.^o

(2) Præ cæteris majoris momenti est synodus carthaginiensis anni 419, cujus acta integrum propè canonum collectionem referunt. Dionysius hanc ipsam collectionem mancam quidem, et nonnullis appendicibus auctam, sed 138 numeris distinctam suæ collectioni inseruit: indè in græcam linguam translata in Orientis quoque collections recepta est. Hanc versionem una cum latino Dionysii textu Justellus typis mandavit sub titulo: "Codex canonum Ecclesiæ affiançæ." Lut. Par. 1615, 8, et apud Mansi conc. tom. III, coll. 699, 844.

(3) Auctor minus rectè scriperat *novum*.

(4) Probant hoc collectiones vetus gallica et tres italicæ, de quibus infra (§ XV) sermo erit. Prioribus quidem sæculis Romani Pontifices generales regulas plerumque in concilio edere solabant; quod si aut aliqui Episcopi abessent, aut synodus non haberetur, illorum decreta ad præcipios mittebantur provinciarum antistites, qui ea nuntiabant epis opis propinquioribus, atque ita omnibus parendi necessitas imponebatur. In remotiores autem regiones eadem mittebantur per clericos probatæ fidei, aut etiam per Episcopos, quorum erat ea nuntiari primatibus provinciarum, nisi ad alias peculiaribus de causis essent deferenda, et hi quidem cum Episcopis vel singulis, vel in synodo congregatis eadem omnibus communicari, omniumque cōnsensu firma-

collectio sub idem tempus in Gallia confecta est, quæ canones græcos juxta antiquam hispanicam, et chalcedonenses tantùm juxta italicam versionem continet (1).

V. Ex eo tempore, quo imperatores rom. christianam religionem amplexi sunt, plures ediderunt leges, quæ res ecclesiasticas respiciebant, et maxima ex parte ei collectioni insertæ sunt, quæ auctoritate Theodosii II (438), Constantinopoli ex imperatorum edictis compilata, et a Valentino III etiam pro Occidente approbata est. Plura tamen imperatorum edicta, rescripta ac litteræ ad res ecclesiasticas pertinentes extra illas collectiones ad nos pervenerunt (2).

Jus proindè, quo tunc temporis Ecclesia utebatur tum pro Oriente, quām pro Occidente in collectionibus canonum conciliorum, in codice theodosiano, atque in iis legibus continebatur, quæ postea evulgatae sunt.

VI. Primis illis Ecclesiæ sæculis jus sacrum tam arctè cum omnibus, quæ Eccle-

ri curabant. Hoc quidem modo decreta pontificum romanorum cunctis nota atque explorata fieri consuevit, ostendit Constantius I. c. n. 47, p. 59. Decretorum verò autographum in schiriniis, aut archivio sedis apostolicæ servabatur, et hujusmodi autographum adhibebatur ad dirimendas controversias, quæ fortè orirentur. Sic Hieronymus adv. Rufin. lib. 3, opp. tom. 2, pag. 549, edit. Vallarsi Veronæ, Rufinum de litteris ab Anastasio I ad Joannem hierosolymitanum datis dubitantem, ad chartarium provocat. Quare multa moliendo faciunt ut nihil agant, Van Espenius et cæteri, qui neminem antè Dionysium pontificis decretales collegisse contendunt, ut indè inferre possint antè Dionysium tantùm conciliorum canones, non item apostolicæ sedis decreta auctoritatem obtinuisse. Fuit Dionysius quidem primus, qui decretales a canonibus conciliorum discribit, atque ordine recensuit, cum in antiquis collectionibus omnia confusè et permixtum describerentur.

Sed fac etiam verum esse, quod certè falsum est, id quod aiunt de pontificiis decretalibus primum a Dionysio collectis, id tamen vetustæ earum auctoritati nihil detrahit. Cum enim privati codices nihil iis aut addere, aut adimere possent, quid intererat sedis apostolicæ, sive ejus decretales in iis descriptæ essent, sive omisæ? Vis earum non ex his privatis collectionibus, sed ex pontificis potestate, atque ex ipso autographo in archivio servato profuebat. Certè Sigerius, epist. 1, ad Hiemer. Tarragon. apud Constantium epist. roman. pontif. § 20, col. 637, postquam Hiemerum hortatus est ad servandos canones, et tenenda decretalia constituta, generali illam sententiam promuntia, quod statua sedis apostolicæ vel canonum venerabilia definita nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum. Etiam Leo Mag. epist. 4, c. 5, (opp. tom. I, col. 616, edit. Venet. 1753) memorat decretalia constituta decessorum suorum, et comprovinciales Episcopi metropolis arelatensis datis ad Leonem M. litteris [opp. S. Leonis tom. 1, epist. 65, cap. 2, col. 995, edit. cit.] non ex aliquo canonum codice, sed ex schiriniis sedis apostolicæ decretorum Zosimi pontificis vim omnem et auctoritatem reputant, uti observant fratres Ballerini not. 11, in diss. 12. Quesnelli [opp. S. Leonis, tom. 3, col. 697 et 698: edit. ejusd., quos etiam consule in appendic. par. 2, cap. 1, § 2, pag. 178, eod. tom. 4]. De rom. Ecclesiæ bibliotheca, que dicebatur archivium, schirinia, chartarium, ubi decretalium autographa, atque acta et canones conciliorum cæteraque monumenta ecclesiastica servabantur videndi sunt Constantius in præfat. ad epist. R. P. n. 44, et Caietanus Cennius in dissertationibus italicis Pistorii editis an. 1778, tom. 1, diss. 1, p. 25 et seq. Vid. Joan. Devoti inst. c. V, § LVIII, not. 1, et opus eximium cui titulus: *Origine de l'Eglise romaine par les bénédictins de Solesmes*, Paris 1836, in 4.^o

(1) Exstat hæc collectio in editionibus operum sancti Leonis a Quesnello et Balleriniis adorantis. Quesnellius eam antiquam romanæ Ecclesiæ canonum collectionem esse asserit; ast. Ballerini demonstraverunt, illam privato studio in Gallia confectam fuisse. Ballerini. De antiquis collect. can. part. II, cap. VIII. Eorumdem observat. in dissert. Pasch. Quesnelii de cod. canon. ecclesiast. Galland. syllog. t. I, p. 783, 807, et Berard. observatio. quart. fras. operis jam citati.

(2) Præcipuas enumerat Chr. G. Haubold. in Institutionibus juris rom. litterariis, tom. I, Lips. 1809, 8, § 95.

siam respiciebat, connexum erat, ut nondum particularis cuiusdam scientiae ac disciplinæ materiam efficeret; nec difficile erat ex ipso rerum usu ac consideratione ea cognoscere, quæ in particularibus casibus normam præbere possent. Præcipue tamen ac principes veritates, quibus tota Ecclesiæ ratio innitebatur, in libris contra hæreticos conscriptis distincte ac nervosè exponebantur. Exstat opus, quod propriùs jus canonicum respicit, quodque Dionysio Areopagitæ tribuitur (1); multis tamen ac validis argumentis de ipsius genuinitate dubitatur (2), et verosimilium est, quinti tantummodo sœculi fætum fuisse.

ARTICULUS II.

FONTIUM JURIS CANONICI HISTORIA A QUARTO USQUE POST OCTAVUM CONCILIUM ECUMENICUM.

ARGUMENTUM.

A. Ecclesiæ status: 1. in regno Francorum et Anglorum, § VII; 2. in Hispania et Italia, § VIII; 3. in Oriente et Africa, § IX; *B. Juris fontes:* 1. in Oriente a. canonum collectiones, § X; b. leges civiles; collectiones communes, § XI; collectiones pro Ecclesiæ, § XII; c. ecclesiasticarum et civilium legum collectiones; nomocanon, § XIII; Photii syntagma, § XIV; 2. juris fontes in Italia; a. legum ecclesiasticarum collectiones, § XV; 2. leges civiles, § XVI; 3. juris fontes in Africa, § XVII; 4. juris fontes in Hispania, § XVIII; 5. juris fontes in Anglia et Hibernia, § XIX; 6. juris fontes in regno Francorum et quidem: a. legum ecclesiasticarum collectiones, § XX; b. collectiones systematicæ et compendia, § XXI; c. leges civiles, § XXII; d. False decretales, et quidem ipsarum historia, § XXIII; materia, § XXIV; de hierarchia, § XXV; et de accusationibus doctrina, § XXVI; et in ecclesiasticam disciplinam influxus, § XXVII; alia ex ipsis desumptæ collectiones, § XXVIII; *C. Lucubrationes in jus canonicum,* 1. Opera methodica, § XXIX; 2. libri rituales et formularia, § XXX.

VII.

Ecclesia tam firma fundamenta jecerat, ut a Germanis, qui Occidentis regnum occuparant, nullo modo convelli posset. Licet enim arianæ sectæ additi essent, et Ecclesiam quibusdam persecutionibus divexarent; tamen nec stabilem rerum ecclesiasticarum rationem destruere, nec impedire poterant, quin in diversis regionibus concilia celebrarentur.

Franci postquam cum Choldvæo ipsorum rege baptismus suscepserunt et partem imperii, quod Gothi in Gallia occupaverant, nec non Burgundiorum regnum sibi submiserunt Galliam totam ad Ecclesiam catholicam traxere. Nihil inde in ecclesiastica disciplina immutatum est: Episcopi enim initio natione galli et romani fuere, atque in concilio Aureliano, anno 511 a Clodovæo convocato, de pluribus rebus expressè statuerunt, id observandum, quod ecclesiastici canones decreviserunt et romana lex constituisset (3).

(1) S. Dionysius de ecclesiastica hierarchia in opp. Ant. 1634, II, vol. fol.

(2) Joan. Dalleus de scriptis, quæ sub Dionysii Areopagitæ et Ignatii antiocheni nominibus circumferuntur. Genov. 1666, 4. Confer. D. le Nourry apparatus ad bibliothecam patrum, in-8°, Paris, 1703, t. I, p. 169 et seq.

(3) Conc. Aurel. r. 54, can. 1. "De homicidis, adulteris, et furibus, si ad Ecclesiam confu-

In regnis Anglosaxonum ab anno 449 in Britannia fundatis, religio christiana per missionarios romanos in Cantia primum an. 596, dein in tota heptarchia prolatæ est. Septimo verò et octavo sæculo monachi anglî, hiberni et franci eam quoque ad Rhenum et in Helvetia, nec non Allemannis, Bavariis, Thuringiis, Frisonibus et Catis prædicaverunt, et Winfridus seu Bonifacius, Moguntiae Archiepiscopus, erectis in interiori Germania monasteriis et episcopatibus, Ecclesiam in illis regionibus stabilivit. Victa demum a Carolo Magno Saxonum pertinacia, totum Francorum regnum christianæ religioni nomen dedit.

VIII. In Hispania Goths, qui ab anno 468, ibi imperium suum exercebant, sub rege Recaredo in concilio Toletano (a. 589), relicta Arii hæresi, catholicam fidem amplexi sunt. Multa tamen in regionibus Ecclesia passa est, ex quo Arabes illis potiti sunt, licet christiani libere suam religionem profiteri possent (1).

In Italia pontifices romani, etiam sub Herulis et Ostrogothis arianæ sectæ addictis, protestatem atque ecclesiasticam cum Oriente communionem conservarunt (2), quæ deinde nova incrementa accepit, postquam Justinianus Gothorum regnum delevit, et Italianam romanam provinciam fecit, sub Longobardis denuo ariana hæresis excitata est; converso tamen ipsorum rege Grimoaldo, veram fidem sectati sunt. Postea circa annum 764, maxima ipsorum regni parte Carolo Magno subjecta, medias Italæ regiones pontifex romanus, extremas quidam ex Longobardorum ducibus, et Graeci tenuerunt.

IX. Obortis lateque propagatis Nestorii et Euthychetis hæresibus, quas concilia ephesinum et chaledonense damnaverant, magna Orientis pars ab Ecclesia catholica secessit. Primates siquidem illi duo Persidis et Seleucie, qui antiquitus antiocheno patriarchæ, cuius potestas totam Asiam et Orientem complexa est, subditi erant, Nestorii hæresi infecti, ab eo defecere. Seleucie primas seu catholicus patriarchalem dignitatem sibi ipsi vindicavit, et Persidis primatrem suo imperio subjecit. Sic nestorianorum seu Chaldæorum patriarchatus, qui usque ad nostra tempora perdurat, ortum habuit.

Armeni quoque et Iberi, qui concilii nicæni tempore duobus primatibus sub patriarchæ antiocheni potestate suberant, post chaledonense concilium Euthychetis errorem amplexi sunt, et ab Ecclesia sese separavere. Armeni catholicum suum non modo ad patriarchalem dignitatem evixerunt, sed etiam in schisma divisæ, alterum in Armenia majori, ubi antiquus, ille catholicus solebat residere, alterum in Cilicia sibi crearunt patriarcham. Iberi usque ad Moritii imperatoris tempora Armenis fide et ritu conjuncti fuere, postea Græcis adhæserunt.

Nec tantum primates isti a sede antiochenæ in plura frusta postmodum sunt avulsi, sed et ipsa sedes antiochenæ in plura frustra postmodum scissa est. Deposito nimurum a. 518, ob eutychianam, quam professus est, hæresim, Severo, ejus asseclæ, quibus postea jacobitarum nomen inditum est, ab eo tempore usque ad hodiernam diem suos in Mesopotamia et Syria patriarchas, ab iis, qui catholicum antistitem exceperunt, diversos habere cœperunt. Centum ferè post annos, cum iis, qui Syriam et Phœniciam sub uno eodemque patriarcha constituti incolebant,

gerint, id constituimus observandum, quod ecclesiastici canones decreverunt, et lex romana constituit: can. 4, antiquos canones relegentes, priora statuta credidimus renovanda, etc."

(1) Confer tamen Ferrerat, Histoire générale d'Espagne, traduction de M. d'Hermilly, tom. 2, in-4°, pag. 511 et suiv., pag. 596, pag. 602 et suiv.

(2) C. 8, Cod. just. de summa trinitate.

in duas civiles sub sarracenici imperii exordio a. 622 scinderentur partes, nova facta est divisio, inter Syros maronitas, qui proprium sibi ducem creantes ab imperatore defecerunt, et melchitas, qui imperatori constantinopolitano parebant, quorum utrique proprios dein patriarchas sibi constituerunt. Sic demum factum est, ut Oriens, qui olim unico antiocheno paruit patriarchae, nunc patriarchis chaldaeo, nestoriano et catholico, syro-jacobitae et catholico, armeno eutychiano et catholico, syro maronitarum catholico, græco melchitarum catholico, et græco schismatice subsit; sedes siquidem romana iis, qui diversis dein temporibus ex illis sectis ad Ecclesiam rediere, proprios quoque patriarchas concessit.

In Africa patriarchalis alexandrina sedes monophysitarum pariter hæresi infesta exinde jacobitos habuit patriarchas, qui Coptos, Æthyopas et Nubas sibi subjecerunt. Eam verò Africæ partem, quam Vandali ariani ab anno 430 occupaverant, Justinianus imperator ipsis eripuit, ibique Ecclesiæ pacem et libertatem restituit.

Ecclesia græca interim religiosis disputationibus et dissidiis commovebatur; quæ licet tribus sequentibus œcumenicis conciliis constantinopolitano nempe II (a. 553) et III (a. 680), et niceno II (a. 787) dirimerentur, ob intolerabile tamen imperatorum in res religionis sese immiscendi studium, et patriarcharum superbiam Ecclesiæ orientales magis ac magis ab unitate sese separaverunt. Sæpius jam ante discordiae cum romanis pontificibus ortæ, et iterum compositæ; ejus modi erat lis, quæ Gregorium Magnum inter et Joannem patriarcham exorta est, cum iste œcumenici Episcopi nomen assumpserit. Dein novæ discordiae excitatæ sunt, cum Michael II imperator patriarcham virtute præstantissimum Ignatium deposuisset, illumque Nicolaus I, pontifex contra Photium in ipsius locum suffectum, defendisset. Imperator quidem Basilius, excommunicato per concilio generale, quod ipso jubente Constantinoli habitum est, Photio, Ignatium in locum restituit; sed cum mortuo Ignatio Photius denuo patriarchalem sedem occupasset, schisma Ecclesiæ græcam ita invasit, ut iterata Photii depositione, procrastinari quidem, nullo verò modo extingui potuerit. Attamen (1) Persæ Syriam (a. 611) et Palæstinam (a. 614) occupaverant, et mox Arabibus cesserant (a. 636), qui capta (a. 740) Ægypto, anno 707 totam quoque Africam christianam sibi subdiderunt.

Sæculo VII septentrionales provinciæ imperio romano eruptæ sunt; Serviani qui superiore Mœsiam invaserant (a. 630–40), statim christianam religionem amplexi sunt; serius Bulgari, qui in inferiori Mœsia regnum fundarunt, christiani facti, et constantinopolitano patriarchæ subjecti sunt.

X. Collectiones græcae in Oriente adornatæ, quarum ratio ex latinis versionibus nobis innotescit, progressu temporis canonibus apostolicis, nec non decretis sardicensibus et ephesinis auctæ sunt. Idecō, quantum appareat ex collectionibus, quæ paulò post in Oriente certò ordine dispositæ edite sunt, prope finem sæculi quinti canones 85 apostolicos, nicenos, ancyranos, neocæsarienses, sardenses, gangrenes, antiochenos, laodicenses, constantinopolitanos, ephesinos et chalcedonenses comprehendenterunt; et verosimilius horum conciliorum canones intelligendi sunt, quos Justinianus imperator sæpius approbavit (2). Nova dein hoc tempore ex antiquioribus prodit collectio, prioribus ex eo præsertim præstantior quod canones

(1) Scripserat auctor *his temporibus* quæ ad proximè dicta contra fidem chronologia referri debuissent. A. S.

(2) C. 45, cod. de episc., Nov. VI, c. § 8, 1, Nov. 131, c. 1.

non temporis ordine, sed ob faciliorem usum ordiné quodam systematico distributos contineat. Ipsius auctor *Joannes*, cognomento *scholasticus*, presbyter primum antiochenus, dein ordine apocristariorum adscriptus, et postremò Justiniano imperatore patriarcha constantinopolitanus, ecclesiasticos fontes, quemadmodum illos in antiquis collectionibus invenerat, arripuit, additisque canonibus num. 68, ex epis-tolis S. Basilii eductis, totam materiam in titulos L. distribuit (1).

Cæterum omnes istæ collections privato tantum studio confectæ erant; secundo verò synodi trullanæ canone (a. 692) publica auctoritate decretum est, quænam juxta fori usum et consuetudinem tanquam ecclesiastice leges existimari deberent. Plura tamen hic enumerantur, quæ desunt in Joannis collectione; siquidem præter canones apostolicos, et eorum conciliorum, quæ paulò ante nominavimus, memorantur decreta synodi carthaginiensis (2), alteriusque constantinopolitanæ (a. 394), canonicae quorumdam Orientis patriarcharum et Episcoporum decisiones, quæ a sæculo III usque ad quintum editæ sunt; dein canon unus synodi carthaginensis a S. Cypriano habitæ (a. 256); quibus omnibus statim adjecti sunt canones 102 ejusdem synodi trullanæ, et seriū etiam canones 22 concilii œcumenici nicæni II (a. 787). His ferè omnes Orientes collections ad sæculum IX usque constabant (3). Eodem verosimilius tempore Joannis collectio in linguam slavonicam versa, Bulgaris recens ad fidem conversis communicata fuit (4).

Apud orientales sectas ad illas canonum collections, quas ex græcis codicibus priori ævo desumptas adhibebant, patriarcharum constitutiones præsertim eæ quas in synodis ediderunt (5), accesere. Canonum quoque collectores extiterunt (6) inter quos *Elias Damascenus*, nestorianorum metropolita (a. 803) exceluit, qui nomocanonem in duas partes distributum composit, quarum prima occidentalium (de quibus supra § III), secunda orientalium, h. e. nestorianorum patriarcharum canones complectitur (7). Quia verò ex communi disciplina, variis etiam calipharam sultanorumque privilegiis confirmata, christianorum inter se litigantium causas Episcopi et patriarchæ dirimere solebant, de rebus civilibus etiam constitutiones ediderunt, in quibus et musulmanorum legibus sese accommodarunt (8), et leges imperatorum christianorum secuti sunt, quas ex epitome juris justianei, ex Novellis et basilicorum libris in suam linguam Syri Arabesque transtulere (9).

(1) Hæc collectio edita est a Justello tom. II, p. 499. Hanc editionem cum aliis codicibus empsits comparavit Assemanus in bibl. Juris orientalis can. et civ. t. III, p. 354, 421.

(2) Sunt hæc decreta synodi carthaginiensis, a. 419, in qua omnium ab anno 394 synodorum canones repetiti sunt. Latinè conscripti et seriū ab ignoto auctore in græcam linguam translati in Oriente quoque adhibiti sunt. In 133 numeros distributi habentur in sequiori græca collectione apud Bevereg. § I, p. 509–650.

(3) Hujusmodi collectionem edidit du Tillet cum titulo: *Decreta apostolorum et sanctorum conciliorum ex edit. Joannis Tili. Paris, 1540, 4. Pars secunda, quæ canonicas decisiones exhibere debuisset, edita non est.*

(4) Hujus versionis codicem describit Biener in opere: *De collect. canon. eccles. græc. § 10.*

(5) Nestorianorum synodos recenset Assemanus in *Biblioth. orient. t. III, p. II, c. VI, § 2, p. 175, seq.*

(6) Eos recenset idem Assemanus l. c. et in aliis operiis sui locis ibi indicatis.

(7) Vide Asseman. in *Bibl. orient. t. III, p. I, p. 513.* Hujus nomocanonis exemplar mspmtm. existit in bibl. vaticana cod. arab. 57, apud Assem. l. c. t. II, p. 507.

(8) Sic exstant in synodico nestorianorum [cod. arab. n. 36, apud Assem. l. c. III, p. I, p. 57], nonnulli canones a Joanne Bar-Abgari patriarch. in synodo a. 900, celebrata editi, hoc titulo: "collectanea de hæreditatibus juxta placitum musulmannorum, auctore quodam Philopono, nempe Joanne Isæ filio."

(9) Assemani, *Biblioth. orient. t. II, p. 301.*

XI. Initio sæculi VI, leges imperatorum de rebus ecclesiasticis tum in codice Theodosii II, tum separatim inveniebantur. Jus civile Ecclesia pro necessitate ex consuetis collectionibus et ex codice theod. hausit. Postquam verò Justinianus suas adornavit collectiones, ecclesiasticae imperatorum constitutiones maximè in novo codice; Jus verò civile tum codice, tum Pandectis, tum Institutionibus collectum est.

Justinianus absolutis his collectionibus, oblata sibi occasione novas leges aut *Novellas* edidit, quarum plurimæ, quæ de rebus ecclesiasticis agunt, patriarchæ constantinopolitano inscriptæ sunt. Nulla authentica harum legum collectio confecta est; ex illis verò, quæ a privatis adornatæ sunt, licet nulla ad nos pervenerit, tres tamen quadam certitudine distingui possunt. Ex prima Julianus (a. 556) Novellas latina lingua excerptit; alteri consueta CLXVIII Novellarum collectio innitur; tertia denique ea esse videtur, ex qua *versio nostra rulgata* confecta est. Collectio CLXVIII Novellarum, imperante Tiberio II, compilata, in Ecclesia græca adhibita fuit; plura tamen Justiniani edicta ad res ecclesiasticas pertinentia extra eam separatim servata sunt (1). Postiores quoque imperatores, inter quos præcipue Heraclius (a. 641), Leo Isauricus (a. 741), Constantinus IV (a. 765), Niciphorus (a. 811) et Theophilus (a. 842) nominandi sunt, similia edicta evulgant (2).

Medio proindè sæculo nono civile Ecclesiae jus collectionibus Justiniani, atque ipsius et aliorum imperatorum novellis continebatur. Cum tamen jam inde ab Heraclio lingua latina a publicis negotiis exsularet, non amplius ipsæ hæc collections, sed græcæ versiones et commentaria græca, quæ in omnes earum partes edebantur, adhibita sunt: quo factum est, ut ipsi imperatores, nono sæculo ad finem vidente, curarent, ut ex hisce legibus et scriptis nova collectio *basilicarum* nomine, conficeretur, quæ, licet per ipsam justinianæ collectiones non abrogarentur, mox sola in usu fuit.

XII. Multitudo edictorum imperialium effecit, ut desideraretur collectio quædam, in qua ea tantum continerentur quæ Ecclesiam respicerent. In tribus porrò collectionibus hujusmodi excerpta inveniuntur (3). Prima a Joanne, de quo superius actum, cum jam patriarcha esset, edita est, atque post præfationem 87 capita ex decem novellis excerpta, continet, nec unquam integra typis impressa est. Altera 25 capitibus constat, quæ tum ex Codice, tum ex Novellis integra loca comprehendunt. Ab ignoto auctore circa finem sæculi quinti edita, ast nondum impressa est. Tertia denique collectio omnium uberrima in tres partes dividitur, quarum prima compendio exhibet primos XIII Codicis titulos, quorum plurimis alia ex Codice et Novellis desumpta, adjecta sunt. Pars secunda seriem locorum ex Pandectis et Institutionibus, ad res ecclesiasticas pertinentium, in 6 titulos distributam continet. Tertia denique tribus titulis excerpta tum minora, tum majora ex 34 Novellis exhibet. Singulis titulis totique operi quatuor Heraclii constitutiones adduntur. Falso hæc collectio, quæ ignotum habet auctorem, atque circa medium sæculum septimum facta (4) videtur, Balsamoni tribuitur.

(1) Aliquæ habentur in prima parte collectionis Leunclaviensis inox indicando.

(2) Habentur in juris orientalis lib. III, ab Em. Bonefida digestis. Lut. a. 1573, 8. Juris græco romani t. II, Jo. Leunclavi studio editi cura Marq. Freheri. Francof. 1596, fol.

(3) De his aliquæ juris orientalis fontibus plurima et optima inveniuntur in libris a Fr. Aug. Biener editis sub titulis: Historia Novellarum Justiniani [Berolini 1824, 8], pug. 157-222; 584-594, et; De collectionibus canonum Ecclesiae græcæ schediasma litterarium, Berolini 1827, 8.

(4) Hujus collectionis primo edita est versio latina in Paratitlis ed. Jo. Leunclav. Francof. 1593, 8. Dein græcum textum una cum versione editit Fabrot apud Justell. t. II, p. 1217-1376.

XIII. Ut verò ecclesiasticorum civilium legum usus faciliò adhuc reddatur, novæ hoc tempore collectiones ortum habuere, quæ ambas certò ordine digestas comprehendunt. Hujusmodi collectio *nomocanon* est, qui præter 50 titulos a Joanne collectos (§ X), loca ex civilibus legibus, præsertim ex 87 capitulis (§ XII), nec non ex Codice et Pandectis desumpta, singulisque titulis addita, atque appendicem 21 capitulorum, ex integro ex illis capitulis excerptam, comprehendit. Confectus est *nomocanon* paulò post Justiniani imperatoris mortem ab eodem Joanne, uti communis, non tamen certa fert opinio. Multum inter se differunt codices manuscripti, qui de hoc nomocanone supersunt; maximè quod in aliquibus canones citentur tantummodo, leges verò concordes ex integro describantur (1); in aliis tum leges, tum canones integri exhibeantur.

XIV. Auctis sæculo VII et VIII ecclesiasticis legibus, Joannis collectio amplius non sufficiebat; novam igitur adornavit *Photius*, cuius rationem in præfatione declarat. Hæc tamen præfatio, ex duabus composita, indicat, Photium ipsam collectionem iterato labore confecisse. In prima elucubratione complectebatur decreta decem conciliorum, eorumdem scilicet, quæ Joannes in 50 titulis delegerat; dein canones apostolicos, et decreta synodorum carthaginensium; denique SS. patrum litteras et decreta. Perfecta hac collectione (2). Photius totam materiam in XIV titulos contraxit, quos in capita et rubricas divisit, quibus dein canones conciliorum, aut litterarum particulas, breviter tantum annotatas, numerisque distinctas singulas suis locis inseruit. Unicuique capiti excerpta ex imperatorum legibus et jurisconsultorum scriptis adjunxit (3).

In altera hujus collectionis lucubratione canones quintæ, sextæ (4) et septimæ synodi œcumenicæ, nec non duarum synodorum, quibus ipse a. 860 præfuit, inseruit; octavæ verò synodi generalis decreta non recepit; imò hanc synodus, quod ab ea excommunicatus fuerit, in concilio a. 879 a se convocate, nullam declaravit, qua de causa Græci schismatici eam nostri quoque temporibus nullatenus recipiunt. In fine secundæ præfationis tempus, quo hæc collectio compilata fuit annotatur, annus nempè 6391, qui anno 683 nostræ æræ respondet. Indices, qui præfationem subsequuntur, ordinem et materiam majoris hujus collectionis exhibit; neque tamen cum iis, quæ in præfationibus promittuntur, neque cum codicibus manuscriptis convenient (5). Leges civiles, quæ in systematico excerpto allegantur, pro parte ex ipsis Justiniani collectionibus, maximè verò ex ea collectione desumpta sunt, quæ per errorem Balsamoni adscribitur.

XV. Non multò post, quād prima Italica confecta esset canonum collectio, tres

(1) Ex tali codice editus est nomocanon apud Justell. t. II, p. 603-72.

(2) Ex ipsa rei natura patet majorem collectionem ante compendium perfectam fuisse, quod et in præfatione indicatur.

(3) Compendium hoc sub nomine *Nomocanonis* editum est cum titulo: Photi Nomocanon græco cum versione latina Henrici Agylæi et comentariis Theod. Balsamonis. Christoph. Justellus ex biblioth. palatina nunc primum edidit Lutet. Par. 1615, 4. Habetur etiam apud Justell. II, p. 815. 1140.

(4) Hujus sextæ synodi nomine græci synodus trullanam intelligunt.

(5) Major hæc Photi collectio nondum accuratè typis excussa est. In codicibus manuscriptis compendium antè majorem collectionem descriptum invenitur, sive totum opus a Photio ipso ordinatum videtur; re quidem vera unum tantummodo opus efficiunt, et perperam compendium a collectione separatum typis editum est.